

1098, mayo, 4. Letrán

El papa Urbano II interviene en el litigio con el obispo de Huesca y confirma los privilegios de Montearagón.

Urbanus episcopus seruus seruorum Dei, karissimo filio Eximino proposito et ceteris fratribus canonice domini nostri Ihesu Nazareni eorumque successoribus regulariter victuris in perpetuum. Pie postulatio uoluntatis effectum debet prosequente compleri quatinus et deuotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata uires indubitanter assumat. Deuotionem igitur serenissimi filii nostri Petri Aragonensium seu Pampilonensium regis humillimam perpendentes, eius petitioni gratanter annuimus. Postulauit enim ut ecclesiam in nomine domini nostri Ihesu Nazareni a patre suo bone memorie Sancio rege fundatam et a nobis in proprium sedis apostolice ius eodem Sancio obsecrante susceptam ab omni diocesani episcopi seu canonicorum, qui sub ipso sunt aut erunt, dissensione ac litigio per presentis decreti paginam muniremus. Venerabilis siquidem frater noster Petrus oscitanus episcopus quartam decimarum partem de toto Monte Aragone et quicquid preter animarum curam et ecclesiarum seu clericorum consecrationem ad se episcopali iure pertinebat, intercedente supradicto rege uobis uestris que successoribus tradidit et scripti cautione firmavit. Vos uero medietatem decimarum, quam de Oscitana ciuitate per manum eiusdem regis accipere consueueratis, eius ditioni restituistis. De laboribus autem domus regie decimarum medietas ipsi et episcopalis cathedre clericis, altera medietas uobis mutua caritate conuenit. Pro maiori sane mezcita oscitane ciuitatis quam eatenus Sancii regis dono possederatis cappellam Sancte Crucis in palatio positam in commutationem stabilem recepistis. Cetera uero omnia secundum Sancii bone memorie regis et supradicti eius filii cirographum communi concor-

dia statuistis et a nobis eadem stabiliri missis utriusque partis nuntiis postulastis. Hec igitur, sicut inter prefatum regem et Petrum venerabilem episcopum apud castrum Calasanz conuenerunt et sicut utriusque partis nuntii in nostra presentia laudauerunt et communi assensu a nobis confirmari expetierunt, nos ad utriusque partis quietem perpetuam stabilia omnimodis permanere priuilegii huius auctoritate sancimus. Preterea constituimus ut ab omnium omnino hominum cuiuscumque sint ordinis iugo liberi maneatis solique sancte et apostolice romane ecclesie subditi tranquille et quiete sub regulari disciplina omnipotenti Domino seruiatis. Uobis etiam uestrisque successoribus cappellas omnes iuris ex more prouinciarum illarum regii confirmamus quas uel Sancius rex uel supradictus eius filius tam regni quam probitatis heres, pro Dei et domini nostri Ihesu Christi reuerentia uestre ecclesie subdiderunt saluo episcoporum iure quod in eis hactenus habuerunt consecratione uidelicet ecclesiarum et clericorum et quarta parte decimarum saluo etiam tenore diffinitionis suprascripte, si tamen idem episcopi catholici fuerint et gratiam atque communionem apostolice sedis habuerint. Confirmamus et cetera omnia que supradicti reges uel quicumque fidelium uestre ecclesie de suis facultatibus obtulerunt aut pontificum quilibet de iure proprio concesserunt et quecumque in futurum annuente Domino iuste ac legitime poteritis adipisci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones inuadere auferre uel ablatas retinere uel iniuste datas suis usibus uendicare minuere uel temerariis uexationibus fatigare sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Obeunte te quem nos eiusdem loci abbatem propensioris caritatis gratia constituimus uel tuorum quolibet successorum nullus ibi subreptionis astutia uel uiolentia aliqua preponatur nisi quem fratres communi consensu uel fratrum pars saniore consilio regulariter cum timore Dei sibi preesse prouiderint et hoc ipsum consilio regis Petri successorumque eius qui eandem deuotionem et obedientiam beato Petro eiusque uicariis exhibuerint. Consecrationes altarium siue basilicarum ordinationes clericorum ab episcopo ipsius diocesis suscipietis si tamen catholicus existens gratiam et communionem apostolice sedis habuerit et ea uobis impendere gratis et sine prauitate uoluerit, sin autem liceat uobis catholicum quem uolueritis adire antistitem et ab eo consecrationum suscipere sacramenta. Porro nulli episcopo liceat eiusdem ecclesie fratres quos in romane ecclesie filios spe-

ciali dilectione assumpsimus, excommunicare aut diuinum eis officium interdicerere sed sub sola sedis apostolice protectione ac iudicio liberi annuente Domino securique permaneant. Sane ad indicium huius percepte a romana ecclesia libertatis unam auri unciam per annos singulos Lateranensi palatio persoluetis. Siquis sane in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps, marchio, dux, comes, uiccomes, iudex aut ecclesiastica quelibet secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertioe commonita si non satisfactione congrua emendauerit potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie iusta seruantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et aput districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen.

Scriptum per manum Petri scriniarii sacri palatii.

Rota y Bene Valet.

Datum Laterani per manum Iohannis sancte romane ecclesie diaconi cardinalis, IIII nonas maii indictione VI^a Incarnationis Dominice anno M^o XC^o VIII^o. Pontificatus autem domini Urbani secundi pape anno XI^o.

AHN. Clero. Montearagón. Carp. 622, n.º 1. Original.

Publica Kehr, Papsturkunden..., doc. 13, pp. 282-285.